

quantum venenum inventus inde bibat, animadvertunt, aut notunt. Hos vero nobilissimos, hos divinos, pro dedecus, de nomine etiam ignorant. Perfecto Theologi veteres omnes, qui et sacrosanctæ fidei iecerunt fundamenta, et Ecclesiam tam alte extruxerunt, D. Dionisius, Iustinus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Ciirillus, Basilius, Eusebius, Theodoretus, Arnobius, Lactantius, Augustinus, Ambrosius, alii plerique omnes, quia scirent paucis mutatis, Platonicos, facile christianos fieri posse (Augustini verbis utor) Platonem, eiusque sectatores hosce, philosophis reliquis omnibus antetulerunt. Aristotelem, non nisi cum infamia nominarunt. Quadrinventis vero ab hinc circiter annis, Scholastici Theologi, in contrarium sunt annixi. Aristotelicis impietatis, pro fidei fundamentis sunt usi. Excusatos eos habemus, quod cum Græcas litteras nescirent, illos cognoscere non potuerunt. Non vero eos excusamus, quod impietate pietatem adstruere sint conati. Iube ergo pater sanctissime tu primus, iubeant futuri Pontifices omnes, honoribus, qui artes alunt: premiis quæ omnis expedit labor, propositis, per omnia tuæ ditionis gymnasia, per omnes Coenobiorum, Scholas, librorum quos nominavimus, aliquos continue exponi, quod nos per annos XIII fecimus Ferrariæ. Cura ut christiani orbis principes, idem in suis iubeant gymnasiis, satis cito acutissima Italorum, peracuta Hispanorum, fervida Gallorum ingenia, ad Ecclesiæ amica dogmata excitabis. Quid vero si, istorum imitatione Scholæ etiam Germanicæ, et quæ ab Ecclesia Romana Catholica sunt auversæ, ad eadem excitentur: non ne adolescentium suorum mentes, pia dogmata imbibent, et facile ad Catholicam redibunt fidem? Longe sane facilius, quam vel censuris Ecclesiasticis ullis cogantur, aut secularibus armis. Magnam Gregorius XIII antecessor tuus, in Ecclesia gloriam, apud Deum magna æternæ gloriæ præmia, est consecutus, tot nationum gymnasiis, et Romæ et alibi, sub cura, ac disciplina Iesuitarum patrum institutis. Incipe tu P. B. tam pium, tam utilem, tam necessarium pietatis instituere institutum. Te authore, iussoreque per Christianum orbem, tam pium studium introducatur, constituaturque et divulgetur. Sperandum enim est, opera eorundem Iesuitarum, qui hoc seculo Catholicæ fidei per totum Christianum orbem et verbis, et sanguine optimi sunt propugnatores, ac per nondum Christianum propagatores, brevi rationibus firmissimis, titubantium animi firmabuntur, et hostium perversitate convincentur. Fac igitur, in suis collegiis tam pia philosophia doceatur, et stabiliatur. Ingens te apud posteros gloria manebit. Deo opus egeris charissimum: me vero, tam gloriosi, tam profici operis, apud te promotorem, atque hortatorem, pro veteris erga te mei cultus ratione, pro præsentis tuæ gloriæ, et futuræ studio, in clientelam tuam, potes enim, suscipe.

Ferrariæ, Augusti Die V. Anno M.D.XCI.

*Qui Sanct. tuæ
pedes humiliter exosculatur
Franciscus Patricius.*